THESES VARIÆ
EX
JURE ECCLESIASTICO GERMANICO.

I.

Concordata Germaniæ, utpote vim pacti habentia, religiosè omnino servanda sunt, ceu declarârunt sæpiùs RR. Pontifices, signanter Gregorius XIII.

II.

Nullum dubium est, quin Decreta S. Conc. Basileensis à Germanis a. 1439. Moguntiæ & ab Eugenio IV. a. 1447. acceptata sint vera pars Concordatorum Germaniæ.

III.

In vim horum Concordatorum Nationi germanicæ est Jus quæsitum, quod in Partibus ultra quatuor diætas à romana Curia distantibus, omnes quæcunque causæ (exceptis majoribus) apud Judices in partibus terminentur & finiantur.

IV.

Quodsi verò quis gravatus non possit habere justitiæ complementum, secundùm eadem Concordata aliter ad Curiam romanam appellari nequit, quàm frequentato priùs Judice intermedio seu METROPOLITA.

V.

Hoc Jus metropoliticum Germaniæ in S. Concilio Tridentino non solùm non fuit immutatum, sed expressè firmatum in *Sess.* 24. *Cap.* 20. in Verbis *liberum sit partibus adire Judices superiores*, ALIAS TAMEN COMPETENTES. — Imò sanctissimus Pontifex CLEMENS XIII. idem Jus metropoliticum disertè agnovit Rescripto ad Serenissimum Palatinum dato an. 1764. in causâ Spirensi ad Curiam metropoliticam Moguntinam remissa.

VI.

Jure igitur Eminentissimus noster Archiepiscopus Coloniensis prætendit, ne Causæ ecclesiasticæ coram Officialibus Monasteriensi, ac Leodiensi decisæ, neglectâ suâ Curia metropolitica, in instantia appellationis ad aliud tribunal superius immediatè trahantur.

VII.

VII.

Imò ſiquis etiam à Curia metropolitica ad ipſam Sedem duxerit appellandum, ſub pœna nullitatis in vim eorundem Concordatorum cauſa per Reſcriptum usque ad finem litis in partibus committenda eſt ac terminanda, ceu ſapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. in Bulla ſub initium Pontificatûs ſui edita declaravit.

VIII

Si aliquando cauſa apud ipſam Sedem foret retinenda, Natio noſtra germanica ex pactis Jus quæſitum habet, ne ſententiæ judicum inferiorum epiſcopalium reformentur, ſi ipſæ Legibus particularibus Germaniæ, aut Germanorum conſuetudinibus juſtis ſint conformes, etſi difformes fuerint Juri communi recepto ſolùm in ſubſidium.

IX.

Cùm porrò iiſdem Concordatis EUGENIUS IV. profeſſus fuerit ſanctè obſervantiam canonum Conciliorum œcumenicorum, non eſt præſumendum, quòd in præjudicium Nationis germanicæ, contra Canones ſynodorum univerſalium quidquam attentetur.

X.

Eadem porrò Concordata prohibent ac caſſant reſcripta, etiam motu proprio emanata, quibus citra juſtam ac canonicam cauſam per teſtes aut alia legitima documenta probatam Jus proprium cuidam de Natione germanica auffertur.

XI.

Iisdam Concordatis, uti & Ss. Concilio Tridentino Seſſ. 24. Cap. 2. apprimè conforme eſt, Jus reſtituendi ſynodos Provinciales & Diœceſanas, in quibus Epiſcopi Jure proprio Leges ſtatuunt, ipſos etiàm aliàs exemptos obligantes, non obſtantibus iis, quæ Gratianus Diſt. XVIII. adfert.

XII.

Iisdem Pactis Germaniæ vim inferret docens: ſinè conſenſu illorum quorum intereſt, novationem poſſe fieri in Imperio, erectione Epiſcopatûs novi, aut conceſſione pallii Epiſcopo.

XIII.

Quemadmodum confirmatio Epiſcoporum Germaniæ Concordatis noſtris romano Pontifici ſtabilita eſt, & manet, ſancteque eidem relinquenda, donec aliter concordetur; ità vice verſa Metropolitæ

litæ Germaniæ Concordatorum Jure prætendunt, ut consecratio suorum Suffraganeorum à se fiat, nisi consecrandus præsens fuerit in Curia romana, ceu ipse EUGENIUS Papa IV. literis ad Episcopum Wratislaviensem datis declaravit.

XIV.

Ex instrumento Concordatorum Aschaffenburgensium, prout illa in Archidiœcesi nostra sunt promulgata constat: dignitates principales in Cathedralibus ac collegiatis Ecclesiis non cadere sub alternativa mensium.

XV.

Salvis Concordatis defendi non potest, Episcopum Germaniæ electum nondum confirmatum, destitutum Brevi papali teneri abstinere ab administratione in temporalibus & spiritualibus; id tamen ad Episcopum postulatum non extendimus.

XVI.

Pactis Germaniæ manifestè repugnant Resignationes Beneficiorum in favorem, quæ nunquam, in quocunque mense vacant, per obitum ad Curiam romanam devolvuntur.

XVII.

In vim pacti *Callixtini* excludere prorsùs non possumus authoritatem Augustissimi Imperatoris, si ex Jure devoluto alicui Ecclesiæ germaniæ, cui feuda Imperii incorporata existunt, foret providendum.

XVIII.

Ex eodem tamen pacto Callixtino sustineri nequit opinio, quam nuper docuit G. J. WEDEKIND, Jurium Antecessor Heidelbergensis Electiones controversas Episcoporum Germaniæ non esse decidendas à romano Pontifice.

XIX.

Sequitur tamen ex eodem Concordato opinio: Electiones Episcoporum celebrari non posse inexpectato Imperatoris Commissario.

XX.

Universim ut Concordata Germaniæ sanctissimè custodiantur, & ne ceteris Germaniæ nostræ Juribus ac libertatibus vis inferatur, Capitulatio Cæsarea *art.* 14. §. 1. efficacissimum suppeditat remedium videlicet: Recursum ad Augustissimum Imperatorem Jurium Germaniæ protectorem.

XXI.

XXI.

Nihil magis optârunt ſanctiſſimi Pontifices, quàm ſervari pacem & Concordiam inter Eccleſiam & Rempublicam; huic autem Concordiæ repugnat, ſi quovis modo Majeſtas Imperantis civilis ſivè directè, ſivè indirectè in temporalibus lædatur.

XXII.

Facta Majeſtatis civilis ac ejusdem Concordiæ turbativa, quæ in hiſtoria eccleſiaſtica paſſim legimus, adſcribenda ſunt fatis temporum.

XXIII.

Quemadmodum Eccleſiæ chriſtianæ conceſſa eſt poteſtas curandi mediis ſpiritualibus, ne finis Societatis chriſtianæ lædatur, ità non eſt dubium, Majeſtatem civilem eatenus circa ſacra verſari, ad effectum, ut vigilet, ne bono Reipublicæ quidpiam damni inferatur; quare Imperanti facilè largimur ſupremum *jus inſpectionis* & cavendi circa ſacra

XXIV.

Hoc Jure ſupremo inſpectionis nititur *Jus* illud *placeti*, quod circa LL. Papales exercuerunt conſtanter Reges Galliæ, atque pro Imperio haud denegandum eſt Imperatori & ceteris Statibus Imperii.

XXV.

Cur porro non poſſet Imperans occurrere abuſibus manifeſtis, quà ſupremus Protector tum Eccleſiæ tum Reipublicæ?

XXVI.

Quanquam Jus determinandi Diſciplinam eccleſiaſticam Imperanti civili non competat, ſed ſoli Eccleſiæ à Chriſto ſit conceſſum; cavendum tamen, ne ejusmodi determinationes Diſciplinæ eccleſiaſticæ nullo modo lædant bonum Reipublicæ.

XXVII.

Abuſibus, quos famoſa illa centum Gravamina ex odio potiùs adverſus Pontificem romanum & Clerum concepta, quàm reformationis ſtudio, plus juſto exagerant, Eminentiſſimus Cardinalis CAMPEGIUS an. 1524. ivit obviam, celebri Conſtitutione ad Eccleſias Germaniæ edita.

XXVIII.

Quod verò idem ait: oblationes à parochianis invitis exigi per Parochos haud poſſe, in plerisque Eccleſiis non eſt receptum, ubi adhuc rectè exiguntur, pro neceſſaria ac honeſta miniſtrorum ſuſtentatione juxta Cap. 42. de Simonia.

XXIX.

XXIX.

Decretales RR. Pontificum cum Gelasio & Leone M. PP. admittimus; cum Nicolao in sensu Can. 1. D. 19 non admittit CENNIUS *Presb. Romanus*.

XXX.

Cum Pax Westphalica sit Lex fundamentalis Imperii, contra illam rescribere in Germaniâ nulla potestas potest.

XXXI.

Unde Clausula rescriptis inseri solita *abjurata prius hæresi* ad Germaniæ Statum est impracticabilis.

XXXII.

Causæ ecclesiasticæ Protestantium subsunt Jurisdictioni Archidicasteriorum Imperii.

XXXIII.

Sic dictum Corpus Evangelicorum nullam Jurisdictionem habet in suos constatus.

XXXIV.

Quare mandata executiva contra illos decernere non potest.

XXXV.

Jus tamen intercedendi apud Imperatorem eidem competit ut is in Manifesta læsione Pacis Subsidia ferat.

XXXVI.

Cum Concessio religionis publici Exercitii, quod an. 1754 Comes à Weda defunctus Catholicis in urbe sua residentiali concessit, atque an. 1775 modernus confirmavit, & ampliavit, non adversatur eidem Paci Westphalicæ; Gravamina à Subditis illius Evangelicis penes Corpus Evangelicorum facta, nec non rescripta novissima an. 1777 à Corpore Evangelicorum emanata non videntur ligare Statum illum Evangelicum.

XXXVII.

Duobus Archiepiscopis sanctæ Ecclesiæ nostræ Coloniensis negatum fuisse Pallium legimus, Wiliberto an. 972 ab Adriano II. & S. Engelberto an. 1216 ab Innocentio III. Priori quidem, quia in fidei suæ pagina non reddidit mentionem Decretalium R. R. Pontificum; alteri ob debita antecessorum suorum in Curia contracta; quid de hoc sentiendum? ℟. Primus excusatur ob rei novitatem, alter propter *Can.* 3. *Dist.* 100.

TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Inches
Centimetres
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19